

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0148

0146

0152

0142

0157

0137

0197

0097

0247

0047

0647

Ende

Anfang

137

quomodo ibi subterraneum cursum haberet in profundissima valle et rupibus repleta. Ad hanc considerationem me moverunt quaedam terrae sanctae descriptiones, in quibus legeram, quod torrens Cedron esset fluvius perpetui cursus, sed propter frequentes destructiones civitatis sanctae, cuius muri et ruinae fuerunt in vallem dejectae, alveus fluminis repletus fuit. Sed quia vero proverbio dicitur, nemo potest se opponere torrenti, dicunt, quod ipse fluvius, quem torrentem nominant, sub ipsis ruinis adhuc suum naturalem et perpetuum cursum habeat, ut superius patuit fol. 142. A. et multis fol. 170. Sed hoc habere veritatem videre jam non poteram, cum longe infra ruinas Jerusalem fuerim, nec guttam aquae fluere viderim. Sed et alia vice descendи usque ad mare mortuum per eandem vallem, ut patet fol. 236 per totum, sed aquas decurrentes nullas vidi. Possibile tamen est, olim ibi fluvium fuisse et jam non esse, sed ei contigisse sicut Numicio, fluvio Laurentis agri, qui Maronis carmine et aliorum latinorum poetarum celebris factus est, in quo dicunt Aeneam Trojanum cecidisse, et ex eo solo veteres consuevere in sacris Deae Vestae libare. Sane, hic fluvius hodie non est, paulatim enim decrescens primum in fontem redactus est, demum et fons ipse exaruit. Ut habet Boccacius in Tract. de Flum. Verum ex vetustissimis scripturis sacris colligi non potest, quod per torrentem illum fluvii decursus continuus fuerit, sed solum tempore hiemali de pluvia et nive resoluta fit ibi ad horam decursus aquarum. Et tantum de illo.

Consequenter reverti me ad Jerusalem, a qua semper peculiaris [?] fuit mihi clangor, at per torrentem ascendi festinus usque ad locum, in quo videre poteram civitatem sanctam, cuius jocundissimo aspectu novo quodam gaudio et securitate animatus fui. Timueram enim in inferioribus existens, nam horribilis est vallis Gehennae, potissime inferius, ubi caret illustratione desuper ab alto rutilantis civitatis sanctae. In ipso autem ascensu Gehennae perveni in locum, ubi vallis Siloae jungitur valli Siloae (Syon) et ibi dicitur fuisse fons Rogel, ubi hodie stat cisterna magna et profunda, sed non fons. Et juxta fontem erant olim viridaria et erat locus solatii, in quo juvenes tentabant et probabant fortitudinem, ad

